

ad docendam doctrinam de Deo, sicut designat Apostolus ad Ephes. iv: *Alios dedit pastores, et doctores, etc.* Quoad aliquos autem homines etiam in hac vita datur iste effectus, ut non doceantur nisi a Deo immediate, scilicet Apostolis, qui fuerunt primi fundatores novi testamenti, et immediate fuerunt a Deo instructi, ut ait S. Thomas ibidem. Reliqui autem ab ipsis, et ab eorum successoribus instruuntur, vel per se, vel per suos ministros.

## ARTICULUS II.

*Utrum hæc potestas proponendi, et determinandi res fidei alicui determinatæ personæ concessa sit a Christo Domino?*

I. Determinavimus in præcedenti articulo debere in Ecclesia esse aliquam potestatem, seu auctoritatem ad explicandas, proponendas, et determinandas res fidei, ita quod non possunt ista dijudicari, et resolvi in proprium cuiusque spiritum: nunc restat indagare quænam sit ista regula, seu potestas determinativa rerum fidei, et in quo subjecto inveniatur. Cum autem agamus in præsentem de regula exteriori, et visibili, per quam dirigamur in proponendis rebus fidei, considerare possumus, et discurrere circa regulas exteriores, in quibus continetur infallibilis auctoritas fidei. Sunt autem quatuor regulæ exteriores, duæ inanimatæ, duæ animatæ, seu vivæ. Inanimatæ sunt sacra Scriptura, et traditiones apostolicæ, istæ enim non explicant sensum, sed explicandum præbent: et ad Scripturam reducit quæcumque prophetia facta a diversis hominibus. Regulæ utro animatæ sunt Concilium, et papa, id est, aut congregatio, seu multi-

tudo prælatorum Ecclesiæ, quæ repræsentative, et auctoritative est tota Ecclesia, aut unus singularis prælatus, qui habeat potestatem super omnes, ipsa autem Ecclesia integre accepta includit tam prælatos, et subditos, quam supremum caput, et ideo non distinguitur ab his duabus regulis. Et ad istos reducit auctoritas hominum privatorum, qui per miracula, et vitæ sanctitatem, aut martyrium comprobant veritatem fidei, et illi testimonium reddunt, an illi possint etiam esse regula fidei. Alia autem sunt quæ magis dici possunt loci theologici ex quibus scilicet argumenta promuntur ad confirmandas, vel defendendas res fidei, quam regula ipsius fidei, sicut est consensus patrum, aut scholasticorum, rationes humanæ, auctoritates philosophorum, aut historiarum; ista enim omnia per se non faciunt rem de fide, sed supponunt, nam etiam consensus patrum si non sit consensus asserens rem esse de fide, non facit illam de fide: si autem asserat rem esse de fide ex aliqua regula supponitur de fide esse, et ipsi patres serviunt ut testes hujus determinationis de fide, aut apostolicæ traditionis. Quapropter negare ea quæ communiter patres dicunt erit temerarium, aut etiam fractio præcepti ecclesiastici, sed non hæreticum, nisi aliunde habeat esse de fide. Et sic Concilium Tridentinum sessione iv, solum per modum præcepti decernit ut contra unanimum consensum patrum nullus Scripturam audeat interpretari. Igitur in præsentem articulo tractabimus de primis duabus regulis: in sequentibus vero de aliis duabus.

II. Ut autem punctus difficultatis præsentis circa regulas inanimatas aperiatur, supponendum est dari aliquam Scripturam divinitus inspiratam, et Dei auctoritate conscriptam, seu dictatam. Quæ veritas

apud nullum Christianum probanda est, cum sit primum principium in nostra fide. Apud paganos autem, qui Scripturas non recipiunt hæc veritas aliunde probatur, scilicet ex consensu tot, tantorumque librorum sacrorum a diversis auctoribus editorum. Quo argumento utitur Augustinus xviii de civitate, capite xli, cum in aliis auctoribus, quando propria sua proferunt vix consensus in uno inveniatur; similiter etiam ex ipsa ratione prophetiæ, quæ tam frequens est in ipsa Scriptura; prædictio enim futurorum divinæ auctoritatis proprium est, unde dicitur Isaiæ xli: *Annuntiate nobis quæ ventura sunt, et dicemus quia dii estis vos.* Et apud omnes gentes hoc fuit receptissimum vehi a quibus oracula futurorum exposcerentur deos esse existimarent. In Scriptura autem divina nihil frequentius invenitur quam prophetiæ, et quod vera prophetia sit, ex infallibili impletione comprobatur juxta quod Dominus in evangelio dicit: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* Lucæ xxii: et iterum Deuteronomii xviii ponitur signum ad cognoscendum an prophetia sit vera scilicet: *Si ita evenit sicut propheta prædixit.* Illa ergo Scriptura, quæ prædictionem futurorum continet cum infallibili impletionem tamquam divinæ auctoritatis Scriptura habenda est. Unde dixit optime Augustinus xviii de civitate capite, xl: « Cui narranti melius præterita credimus, quam qui etiam futura prædixerit, quæ præsentire tam videmus. » Supposita ergo divina, et infallibili Scripturæ auctoritate relinquimus modo omnes illas quæstiones de libris, qui vere, et sine dubio canonici sint, de translationibus Scripturæ et ejus sensibus, et an aliquid in Scriptura corruptum sit, aut depravatam, de his infra tractando de auctoritate

papæ supra declarationem Scripturarum agendum erit. Illud solum in præsentem inquirimus an in Scriptura sacra ita contineantur ea quæ auctoritate divina revelata sunt, ut etiam contineatur decisio omnium controversiarum pertinentium ad fidem, ita quod sicut iudex scripto suo definit, et determinat controversias in litibus, sic Deus qui est supremus iudex controversiarum de fide, non solum in Scriptura tradat ea quæ nos credimus tamquam res revelatas, et a Deo dictas simpliciter, sed ea quæ sunt determinativa quæstionum, et dubiorum circa fidem, atque adeo non indigeamus iudice humano, qui nobis res illas determinet, sed solum inspicere ea quæ Scriptura tradit ut a Deo definita, et sic sit regula determinandi dubia, et non solum exhibendi res fidei.

III. In hac controversia recentiores quidam hæretici partem affirmativam mordicus defensarunt in colloquio Ratisbonensi habito anno 1610, eamque variis auctoritatibus, et rationibus confirmare conati sunt, quæ parum momenti habent. Possunt autem in duplici sensu procedere. Uno modo asserendo quod Scriptura sola continet in se iudicium, et determinationem omnium quæstionum de fide, ita ut ly sola excludat et traditiones apostolicas, seu verbum non scriptum, et definitiones Ecclesiæ: alio modo asserendo quod Scriptura simul cum traditionibus, id est, Verbum Dei scriptum, et traditum sufficienter contineant determinationem circa res fidei, et ita solum excludant regulam vivam, quæ in definitionibus Ecclesiæ continetur. Et licet ipsi videantur in primo sensu procedere, in quo pejus errant non admittendo traditiones Ecclesiæ, tamen etiam in secundo error eorum refellendus est, et argumentis quæ proferunt respondendum.



IV. Itaque catholica sententia docet, et secundum fidem fatendum est in Ecclesia dari potestatem determinandi, et judicandi ea quæ de fide tenenda sunt, ita ut non solum Deus per Scripturas, et traditiones judicet, sed humanæ potestati a Deo concessum sit in causis fidei judicare. Nec oportet ad hujus quæstionis evidentiam nisi duo advertere. Primum est, quod in omni controversia, et quæstione judicanda, et debet dari jus, et debet dari judex. Et quidem jus habet se tamquam objectum justitiæ, quia dicit ipsum opus justum, ut ait D. Thomas 2-2, quæst. LVII, art. 1. Ipsa autem regula, et ratio per quam hoc justum constituitur vocatur etiam jus, et si in Scriptura ponatur dicitur lex, quia ut ait Isidorus capite Jus, dist. 1: «Lex est juris species, et lex est constitutio scripta.» Oportet ergo ad judicandum attendere ad regulam, seu constitutionem, et Scripturam tamquam ad id in quo continetur ratio ejus materiæ, seu objecti determinandi, et judicandi. Unde ista regula judicat, seu dirimit eam tamquam continens jus, et objectum determinandum, non tamquam proponens ipsum jus et sententiam, quia hoc pertinet ad judicem, qui auctoritative jus illud proponit, et juxta illud de rebus determinat. Unde etiam si in rebus fidei aliqua controversia dirimenda estoportet hæc duo concurrere scilicet jus, et judicem, et ipsa Scriptura tamquam regula continens jus, juxta quod judicandum est, et conformiter ad ipsum regulare potest, non tamquam persona judicans, aut dirimens controversiam.

V. Secundum est, quod necessitas ponendi judicem animatum humanum, supposito quod Deus per se non revelat, nec gubernat oritur ex duplici principio. Primum, quod

in Scriptura non omnia sunt ita distincte, et determinate tradita, et judicata, etiam quoad nos, quod nullam quæstionem, aut ambiguitatem habeant, nec depravate ab aliquibus explicari possint, etiamsi Deus in illa judicet, nam si adhuc aliqua restat ambiguitas, aut quæstio circa ea quæ Deus judicat in Scriptura, necesse est per alicujus auctoritatem ultimate determinari, et resolvi.

VI. Secundum est, quod non sit Ecclesiæ concessa potestas ad obligandum homines ut acceptent ea, quæ fidei sunt, et ejus publicationem, aut declarationem, nam ea dato quod omnia quæ sunt de fide ex parte objecti, et materiæ credendæ sint judicata, ac resoluta a Deo in Scripturis, adhuc tamen si inter homines quæstio circa fidem oritur, necesse erit quod ex declaratione illa, et judicio Scripturæ terminetur, et sic proponatur, et publicetur. Oportet ergo esse aliquam potestatem, quæ illos obliget ad acceptandam declarationem hanc, et determinationem Scripturæ, quæ antea illis non erat manifesta quamdiu dubitabant. Sicut etiam si per supremum principem latæ sint leges continentis ea, quæ in aliquo judicio sentienda sunt, tamen necesse est dari aliquam auctoritatem judicariam, quæ juxta illas leges obliget homines acceptare sententiam, et servare quæ judicata fuerint. Hæc igitur est duplex necessitas ut sit regula animata in Ecclesiâ, seu judex auctoritatem habens judicandi, et determinandi res fidei; tum, ex parte ipsius materiæ, seu objectorum fidei, quia in ipsa materia, seu rebus contentis in Scriptura sunt multa obscura, et dubia et sic debent determinari, et judicari quid sit de fide tenendum, quid non, quando dubium est de illo; tum etiam, ex parte personarum,

ut scilicet obligari possint ad acceptandum judicium datum de rebus fidei, etiam si daremus illud non deberi judicari ab homine, sed solum promulgari ut judicatum in Scripturis, hæc enim promulgatio auctoritate faciendâ est ut homines obligentur a iudice promulgante.

VII. Igitur quod hoc modo fatendum sit dandam esse auctoritatem judicandi res fidei, et controversias, quæ de ipsa sunt, manifestum est ex Scripturis, et sanctorum patrum traditione, ac perpetuo Ecclesiæ usu, nam ut præcedenti articulo ostendimus Deuteronomii XVII, designatur judex ad quem debet recurri quando ambiguum judicium fuerit inter causam et causam, lepram et lepram, et ea quæ continebantur in Scriptura, qui judex dicitur esse sacerdos: et eadem potestas amplius explicatur II Paralipomenon XIX, ut ibidem ostendimus et a Christo Domino fuisse designatur Matth. XXIII, cum dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, et Pharisei; omne ergo quæcumque dixerint vobis facite.* Ubi ex utroque loco colligitur auctoritatem judicandi circa res fidei; tum quoad determinationem dubiorum ex parte rei creditæ; tum quoad obligationem personarum ut acceptent, quæ sibi proponuntur; nam in Deuteronomio expresse ponitur dubietas, et ambiguitas circa ipsas res determinandas, scilicet: *Inter lepram et lepram, sanguinem et sanguinem, causam et causam,* quæ omnia (ut supra articulo præcedenti ponderavimus) pertinebant ad dubia orta ex ipsa Scriptura, si quidem in Scriptura tradita erant multa de lepra, et sanguine, etc. et quod istud ambiguum, et difficile judicium per humanos iudices deberet terminari patet ex verbis textus, nam dicitur: *Et iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad*

*locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes, et ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quæcumque dixerint qui præsumunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, etc.* Ubi totum quod ponitur ad dirimendam controversiam per modum iudicii, et sententiæ, et secundum formam judicandi describitur. Similiter in illo loco Paralipomenon ponitur dubietas, seu controversia aliqua ex parte rei, seu objecti judicandi: *Ubicumque, inquit, est quæstio, de lege, de mandato, de justificationibus, de cæremoniis, ostendite eis, etc.* Ubi supponitur in Scriptura non esse omnia determinata, et judicata a Deo, alias non exorientur quæstiones determinandæ, et ostendendæ per sacerdotes circa ipsam legem, et quæ in ea continentur. Et denique obligatio imponitur hominibus ut sequantur sententiam sacerdotis, Deuteronomio XVII, et Matth. XXIII: *Omnia quæ dixerint facite.* Ergo supponitur in sacerdote auctoritas ad obligandum ut sequantur homines, quæ ipsi determinaverint, et quæ dixerint et pronuntiaverint, etiam in materia tangente res sacræ Scripturæ, ut vidimus, ergo hæc auctoritas est auctoritas judicandi, et de facto a Deo communicata est hominibus, quamvis ipse eam principaliter habeat.

VIII. Secundo probatur hæc assertio catholica ex illo Actorum XV, ubi definiens Petrus controversiam de fide, in qua multa conquisitio facta est propter ejus difficultatem sententialiter pronuntians dixit: *Visum est Spiritui sancto, et nobis nihil ultra imponere vobis oneris.* Ergo judicare non solum pertinet ad Spiritum sanctum, sed etiam ad homines; sed Spiritui sancto prin-



cipaliter, et per modum supremæ causæ, hominibus participative. Quod si illi loquebantur dictante Spiritu sancto, hoc non tollit auctoritatem iudicii; tum, quia ipsi distinguunt Spiritu sancto, et nobis; tum, quia illud iudicium factum est modo ordinario, præmittendo disputationem et inquisitionem, non autem ex sola Dei inspiratione. Item illi ad quos pertinet præcepta ponere circa ea quæ de fide tenenda sunt, habent auctoritatem iudicandi, et non solum iudicandi, hoc autem convenit hominibus; ergo. Minor patet ex eodem capite xv Auctorum, ubi dicitur de Paulo quod: *Perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire Præcepta Apostolorum, et seniorum*: erant autem illa præcepta circa ea quæ determinaverant Apostoli in illo Concilio de non servanda lege Moysi, de hoc enim ipsi Apostoli dixerunt: *Visum est nihil vobis imponere oneris, etc.* Illud autem onus idem est quod præceptum, hoc enim homines onerantur a superiore; ergo circa determinationem rerum fidei commissum est hominibus ponere præcepta, et consequenter qui apostolicam auctoritatem habet circa gubernationem Ecclesiæ poterit præcepta eadem ponere. Major vero manifesta est, quia ponere præceptum est actus jurisdictionis, et superioris, jurisdictio autem pertinet ad iudices, seu ad illum qui dicit jus, lege ultima ff. de jurisdictione omnium iud. ergo si circa determinationes fidei, et declarationes a se factas potuerunt Apostoli ponere præceptum, circa hoc habuerunt auctoritatem iudicariam, quæ est auctoritas dicendi jus. Denique Luc. xxii dicitur Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc autem confirmatio facienda erat circa res

fidei; in eo enim confirmare debebat fratres in quo non poterat deficere, alias incongrue unum ex altero inferretur. Auctoritas autem confirmandi in fide intelligi non potest sine auctoritate determinandi ea, quæ dubia sunt, et proponendi auctoritative id quod est tenendum. Unde Bernardus epistola cxc: « Oportet, inquit, ad vestrum referri apostolatam pericula quæque emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt; cui enim alteri dictum est: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos in eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores. » Et Hieronymus in epistola ad Damascum de tribus hypostasibus: « Inde mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc animæ meæ postulo cibum, unde olim Christi indumenta suscepi, a sacerdote victimam salutis, a pastore præsidium ovis flagito. »

IX. Et ex hoc tertio, probatur conclusio ratione deducta ex sacris litteris, et patribus. Nam quantumcumque res omnes, et controversiæ de fide iudicatæ a Deo sint in Scriptura, adhuc quoad nos non est ita clarum, et evidens hoc iudicium quod ab omnibus intelligatur per se, cum videamus tam varie, et tam contrarie a multis intelligi Scripturas, nec etiam ipse Scripturæ immunes sunt a depravationibus, et corruptis intelligentiis multorum, juxta illud quod jam citavimus II Petri ultimo: *In quibus difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas in suam ipsorum perditionem*: ubi valde ponderandum est

quod dicit: *Sicut et cæteras Scripturas*, hoc enim evidenter datur intelligi nullam partem Scripturarum esse liberam a depravationibus hominum perditorum, et a difficultate intelligendi. Si ergo Deus est iudex controversiarum, et difficultatum fidei in Scriptura, et ibi in quibuscumque Scripturis continentur multa difficilia intellectu, et depravationibus hominum sunt obnoxia, oportet quod de talibus difficultatibus extra Scripturam iudicetur, et determinetur, ne homines semper fluctuent non habentes determinationem infallibilem, quam sequantur in rebus fidei, et in cognoscendis legitimis Scripturis, sed extra Scripturam Deus non iudicat per se immediate ista dubia, ut constat experientia: ergo oportet quod id iudicetur, et determinetur per aliquam auctoritatem humanam, et consequenter detur regula animata fidei. Et confirmatur hoc argumentum, nam iudicium quo Deus iudicat in Scripturis, et determinat ea quæ in fide controversa sunt, vel habetur in Scriptura distincte, et clare et seorsum ab ipsis rebus de quibus dubitatur, vel non. Primum dici non potest, nec enim omnia loca obscura, quæ sunt in una parte Scripturæ declarantur in alia, verbi gratia circa illa verba: *Hoc est corpus meum* volunt hæretici quod ly est ibi figurate accipitur pro eo quod est significare corpus Christi: catholici autem quod ly est sumatur proprie pro eo quod vere est tale, ubinam in alia parte Scripturæ hoc est iudicatum, et determinatum a Deo clare, et distincte ita ut tollatur controversia sine aliquo exterius iudicante? Et similia sunt sexcenta in Scriptura. Si autem iudicatum quidem est a Deo id quod controvertitur, non tamen nobis omnino apparet, sed involutum est cum aliis, quæ obscure tra-

duntur; ergo oportet quod eorum explicatio reducatur ad aliquam auctoritatem extra Scripturam determinantem, et solventem auctoritative talem obscuritatem, et controversiam, non autem ad Deum extra loquentem per semetipsum, quia per se immediate non definit, nec determinat istas difficultates; ergo mediatis hominibus.

X. Sed objicies ex D. Thoma I part. quæst. I, art. IX ad secundum ubi sic ait: « Unde ea, quæ in uno loco Scripturæ traduntur sub metaphoris, in aliis locis exponuntur: » ergo plane dictis angelicus doctor adversatur asserens omnia expresse in Scriptura contineri. Respondetur D. Thomam non dicere absolute quod ea quæ traduntur in uno loco Scripturæ in alio expressius exponuntur, sed quod ea quæ traduntur sub metaphoris, id est, sub figuris, et significationibus diversarum rerum, quæ non pertinent ad litteralem sensum, sed ad spirituales, seu symbolicum, ut ipse tradit eadem quæstione articulo X ad primum inquiens: « Quod nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat. » Quod quidem verissimum est; non tamen negat D. Thomas, quod ea quæ litterali sensu expresse traduntur, secundum quod ly expresse distinguitur contra symbolicæ, seu figurate non habeant aliquam difficultatem, aut depravatam intelligentiam, contra quam necesse sit auctoritatem alicujus personæ iudicantis, et determinantis quod tenendum est constituere. Ex dictis etiam convincitur non sufficere ad iudicandum de Scripturæ difficultatibus circa res fidei, ipsas traditiones non scriptas, nam istæ traditiones cum non sint scriptæ servantur apud aliquam regulam vivam, scilicet in successione episcoporum



per quos ad nos deveniunt, præsertim Romanæ Ecclesiæ, ut ex Irenæo, Tertulliano, et Augustino, superiori articulo ostensum est in illis locis in quibus agunt de fide inveniendâ apud Ecclesias apostolicas per episcoporum successiones, et consequenter admitti non possunt traditiones nisi admittatur regula animata fidei: et deinde, quia oportet discernere veras traditiones a falsis, nam et Christus Dominus traditiones Judæorum damnat Matth. xv et Marci vii. Oportet ergo ab aliquo id discerni, et judicari, non autem a Scriptura, aut ab aliis traditionibus; de hoc enim idem dubium esset et sic procederetur in infinitum; ergo ab aliquo homine habente ad id auctoritatem.

XI. Denique ista conclusio constat ex communi Ecclesiæ usu jam in Apostolis usque ad nos continuato, nam quotiescumque exortæ sunt hæreses, et conversiæ circa fidem, per Conciliorum definitiones, et pontificum confirmationes judicatæ, et determinatæ sunt. De quibus agendum erit infra cum ostenderit hanc auctoritatem esse in Romano pontifice. Sufficit interim duo aut tria ex antiquis testimonia ad hoc afferre. Primo enim in Nicæna Synodo tractata est controversia fidei de consubstantialitate Filii Dei contra Arium, atque ibi per modum constitutionis, et sententiæ determinata est, ut ex confirmatione Beati Sylvestri plane colligitur, licet Athanasius in libro de Synodis advertat cum de fide ageret Concilium non dixisse visum est, sicut in aliis decretis, sed ad istum modum credit catholica Ecclesia, ut ostenderet eam non esse novam fidem, sed apostolicam. Cæterum D. Sylvester in Concilio Romæ coacto pro confirmatione Nicænæ Synodi per modum statuti, et definitionis Synodum processisse declarat, et ipse

etiam auctoritative confirmans, sic dixit: « Quidquid in Nicæa constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ, et apostolicæ a sanctis sacerdotibus cccxviii, nostro ore pariter confirmamus, omnes qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, et magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est, anathematizamus. » Ecce quomodo per modum iudicii res fidei determinatæ sunt; tum per modum statuti, definitionis, et confirmationis eas tradendo; tum per modum obligationis respectu fidelium ut eas acceptarent; quod etiam testatur Felix papa IV, in epistola quinta synodica. Expressius Socrates lib. ii historiæ, capite xiii: « Ecclesiasticus, inquit, canon vetat ne decreta absque sententia episcopi Romani Ecclesiis sanciantur. » Similiter Marcianus apud Chalcedonensem Synodum actione iii, et habetur lege iv, codice de summa Trinitate et fide catholica prohibens ne de fide publice liceret disputare, rationem reddit: « Nam injuriam facit iudicio Romanæ Synodi si quis semel iudicata, et recte disposita revolvat, et publice disputare contendit. » Ubi manifeste agnoscit imperator Synodum determinationes fidei iudicatas tradere, et per modum iudicii, et determinationis auctoritative. Et Concilio Aquileiensi si legitur epistola Gratiani Augusti, qui ad episcopos referens iudicium in dubiis circa fidem: « Ut a quibus, inquit, proficiscuntur institutæ doctrinæ ab eisdem discordiæ eruditionis repugnantia solveretur. » Et S. Augustino articulo præcedenti citato libro primo contra Crescentium, capite xxxiii: « Quisquis, inquit, falsi metuit hujus obscuritate quæstionis Ecclesiam de illa consulat. » Denique videri potest Vincentius Lirinensis in aureo illo opusculo adversus hæreses, et profanas vocum

novitates, tum in principio, tum circa finem: « Hic forsitan, inquit, requirat aliquis cum sit perfectus Scripturarum canon, sibi que ad omnia satis, superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illius sententiæ erui posse videantur. »

XII. Adhuc tamen hæretici respondent duplicem esse fidem, scilicet salvificam, et historicam: et salvificam pertinet ad dogmata, quæ sunt de necessitate salutis, historica vero, quæ continet id quod ad historiam pertinet, et fatentur aliquid quod pertineat ad fidem historicam posse peti ex aliquo testimonio extra Scripturam, scilicet ab Ecclesia, fidem vero salvificam non ita, sicut verbi gratia, quod hic liber sit, vel non sit canonicus hoc dicunt pertinet ad historicam, et ita determinari potest ab Ecclesia. Cæterum hæc solutio ex omni parte repugnat. Primo, quia ex his quæ allata sunt constat Ecclesiam iudicasse, et definisse ea quæ vere sunt dogmata, sicut in Concilio Apostolorum Actorum xv, definitum est non obligare legem Moysi in Concilio Nicæno Filium Dei esse verum Deum, etc. Et denique Petrus non solum dixit quod in Scriptura est aliquid difficile intellectu quoad historiam, aut quod cæteræ Scripturæ solum quoad historiam depraventur, sed absolute, et quod omnia, imo ipsa dogmata, et mysteria difficiliora sunt ad intelligendum quam historiæ; et circa dogmata fidei plures sunt controversiæ, unde magis ex hac parte iudex requiritur, qui eas determinet. Secundo, quando Ecclesia proponit, et determinat illam

fidem historicam, verbi gratia, hunc librum esse canonicum, vel id determinat tamquam de fide divina, et infallibili, vel non. Si primum, ergo est necessarium ei credere, ita ut qui non credat, sit hæreticus, utpote non recipiens aliquid quod est de fide divina, et sic jam pertinet ad fidem salvificam: si secundum, ergo illa determinatio Ecclesiæ non est infallibilis, neque obligat ad recipiendum infallibiliter librum illum pro canonico, et consequenter neque ea quæ in illo continentur infallibiliter pro canonicis haberi possit. Tertio, fides historica est ejusdem auctoritatis, atque dogmatica, seu salvifica, omnes enim historiæ Scripturæ infallibilis sunt auctoritatis, et ad salutem pertinet eis credere, nam ut dicit Apostolus ad Rom. xv: *Quæcumque Scripturæ sunt ad nostram doctrinam scriptæ sunt*: et iterum: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est*, etc. et Augustinus libro de vera religione, capite i: « Distinguiamus, inquit, quæ sit stabilis fides sive historica et temporalis, sive spiritualis et æterna ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit; ergo historica fides eodem modo sicut et dogmatica habenda est. »

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIII. Pro parte hæreticorum argui potest, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritates ipsi multas proferunt ex Scriptura, et patribus, quæ tamen magna ex parte solum deserviunt ad ostendendum Scripturam continere ea quæ credenda sunt, et ab ejus infallibili auctoritate accipiendam esse regulam fidei, juxta ipsam iudicandum esse de his quæ dubitationem, et controversiam habent. Solum ergo illas auctoritates adducam, quæ ipsi